

N. LEONICVS THOMAEVS REGI-
NALDO POLO BRITANNO S.



Agna apud plerosque veterum, Pole, & ardua semper fuit quaestio, vtrum ne pondus haberent somnia, & aliqua quiescentis animi essent praesagia: an tota fortuita isthaec esset res, vt pleraque sunt alia, inaniaque naturae ludibria somni tempore nocturna essent visa. Hinc apud antiquos rerum disquisitores Stoici ab Epicureis, & vtriq; ab Academicis Peripateticisque dissensisse videntur: & si exemplis res agatur, paria profecto vtrinque fient. Verum quoniam deos esse credere, ab iisque hominum generi consuli, non solum ex vsu vitae est, sed clarius etiam quam vt vllis adstrui rationibus debeat: non ab re ij mihi philosophi rectius sensisse videntur, qui somniorum visa etsi non omnia, nonnulla tamen hominum causa à superioribus mitti naturis contenderunt. Quorum de numero cum vniuersa poetarum videtur esse natio, qui apud graecos antiquissimum philosophandi genus inuenerunt, primi que rerum naturae causas fabellarum inuolucris obstruxerunt: tum Pythagoreorum Socraticorumque omnis sane fuit chorus. Quibus cum vniuersa postea assenserit vita, non iam ambiguae controuersiae, sed constantis veraeque certitudinis tota hanc esse rem constanter asseuerare possumus. Accedit ad hoc, si humanus immortalis est animus (quod alias de Platonis sententia in scripto Dialogo nostro à nobis probatum, nunc pro confesso & certo ponimus) & praesagire illum futura, & veraciter eadem praedicere posse, vero est consentaneum: eo praesertim tempore, quo liber ille magis, & à corporis sensibus tanquam à vinculis quibusdam solutus (quod in somnis sane accidere videtur) in sese conuersus, proprijs & peculiaribus vtitur motionibus. Adeoque hac de re apud antiquos (praeter admodum paucos) nihil est dubitatum, vt Dicearchus inter Peripateticos vir sane celebris, qui reliqua diuinationis genera sustulerit, somniorum tamen praescita relinquat. Quod etiam fecisse Cratippum sua aetate summis Peripateticis parem, Cicero grauis est author. Verum nos, qui soli nunc sapere nobis videmur, quibus ve cum nihil, aut certe parum habeamus, nihil tamen nobis detrahare & derogare volumus, omnia sane diuinationum genera sustulimus, & antiquorum fuisse deliramenta plane existimamus: & non tantum auguria, extispicia omnia, reliquaque id genus, quae ne de nomine quidem cognoscimus, subsannamus & negligimus: sed somniorum etiam praesensiones,

quas quotidie experitur vita, quasi futes & inanes cōtemnimus, & ani-
libus fabellis non abfimes esse affirmamus: nec iniuria mehercle, quando
nunc omnia de fece (vt aiunt) haurimus: optimarumq; artium disciplinis
non vt recte fciamus, fed compendij noſtri cauſa operam damus: turpeq;
apud plerofq; non habere fit magis, quā in rerum ignoratione pulcher-
rimarū verſari. Sed quid ego hęc in pręſentia, quę certe ſine dolore cōme-
morare nō poſſum? Quin potius id ago quod mihi agendum eſt, & aureū
hunc de diuinatione per ſomnum libellum tibi Pole dicatum vt reliquos
latinum facio, & pro vtribus explico. Quod profecto mox faciam, ſi prius
te admonuero, ſomnia hęc quę diuinitus mitti creduntur, tunc præcipue
apparere, cum inter vigiliam ſomnumq; humanus verſatur animus, &
vitę innixus ſuę, conſopito corpore expergifcitur quodammodo, & ſua
ipſius agere exiſtimatur. Vale.